Vries-Commentatiuncula de Plinii epistularum fragmento. 1890.



EXERCITATIONES PALAEOGRAPHICAS

IN

BIBLIOTHECA VNIVERSITATIS LVGDVNO-BATAVAE


INSTAVRANDAS ITERVM INDICIT

S. G. DE VRIES
EIVSDEM BIBLIOTHECAE CODD. MSS. CONSERVATOR

(INEST COMMENTATIVNCVLA DE C. PLINII CAECILII SEC. EPISTVLARVM FRAGMENTO VOSSIANO NOTIS TIRONIANIS DESCRIPTO)



LVGDVNI-BATAVORVM
APVD E. I. BRILL SOCIOS
M. OCT. AN. 1890


HARVARD COLLEGE
JUL 25 1921
LIBRARY

L. S.

Circumspicienti mihi quid potissimum Vobis, Commilitones aestimatissimi, offerrem ut ad exercitationes palaeographicas hoc nouo anno academico iamiam incipiente instaurandas publice Vos inuitarem, ultro fere in mentem uenit fragmenti alicuius C. Plinii Caecilii Sec. epistularum notis Tironianis maximam partem descripti, quod in ipsa hac Bibliotheca Leidensi nuper inueneram. Etenim non solum propter inclitum Plinii nomen dignum illud iudicabam quod Vobiscum communicarem, uerum etiam ob ipsas artis palaeographicae rationes, cui qui accuratius paullo incumbunt, notas Tironianas, quarum specimen Vobis hic propono, minime debent neglegere. Nam ut taceam de fructu magno qui ex illis diligenter pertractatis uniuerso litterarum studio percipitur in quaestionibus grammaticis maxime et orthographicis iuste soluendis: ipsa studia palaeographica illarum aliqua notitia omnino indigent, ut iam inde ex. gr. apparet, quod nonnulla compendia in unoquoque fere codice Latino usitata ex Tironianis ducunt originem; earum uero natura perspecta facile intellegimus quae explicari aliter non poterant. Nec desunt profecto opera antiqua cognituque digna quae uel integra uel aliqua saltem ex parte his notis sint descripta.

Quodsi autem artis palaeographicae fines paullo latius proferimus neque in obseruandis scripturae tantum diuersitatibus contenti, ad eandem iudicamus pertinere omnia quae

de codicum origine, historia, librariis, priscis possessoribus, cet. traduntur, adiumentum utilissimum notis Tironianis praestari statim uidemus. Saepissime enim in codicibus uetustissimis res ualde memorabiles notis adscriptae inueniuntur. Cuius rei ipse adferam exemplum in edendis iis quae librarius noster praeter Plinii uerba addidit de libris olim in codice suo contentis. Vnum sed luculentum libet addere a Ludouico Traube nuperrime prolatum (Wochenschrift für klass. Philologie, VII, 1890, n° 31, col. 835). Scilicet ille uir doctus cum in notissimo codice aureo Ratisbonensi (nunc Monacensi) notas aliquot a se primum inuentas Guilelmo Schmitzio (qui totus fere habitat in Tironianis) adiuuante soluisset, certissimum inde hausit argumentum quo comprobaret illum codicem non ex Parisiensium pictorum schola sed ex Corbeiensi clarissimo monasterio esse oriundum: id quod aptissime conuenit cum iis quae admodum sagaciter ex solis artis proprietatibus paullo ante coniecerat Ianitschek, quodque ad historiam pingendi scribendique artis in uariis medii aeui scholis cognoscendam summi momenti est habendum.

Cum igitur ad artem palaeographicam rite exercendam et notae Tironianae utique pertineant, ita quidem ut qui illi operam dant, harum aliqua saltem notitia carere non possint, pauca illa quae inedita seruat Bibliotheca Leidensis Vobiscum communicare mihi liceat. Spero autem id nec Vobis fore ingratum nec litteris nostris communibus prorsus inutile. Valete.

C. Plinii Caecilii Secundi Epistulas quod in uniuersum bene emendatas hodie legimus talesque fere quales ab ipso uidentur conscriptae, sagacitati debetur et doctrinae uiri de litteris Latinis summopere meriti, Henrici Keilii. Qui postquam disputationibus duabus an. 1865 et 1866 Erlangae emissis »de Plinii epistulis emendandis" fusius egit et ea quae in praefatione editionis minoris Teubnerianae anni 1853 breuiter indicauerat, illic exposuit et stabiliuit iustaeque recensionis solida iecit fundamenta, anno 1870 editionem parauit criticam, quam uocant, maiorem (Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri). In qua cum ad optimorum codicum auctoritatem ubique se applicat eorumque fidelem exhibet imaginem, primus Epistulas uere »recensuit", et quid antiquitus traditum, quid postea inlatum interpolatumue esset ostendit; simul uero felicibus ipsius et amicorum — Th. Mommseni maxime — coniecturis medicinam locis compluribus attulit. Iure igitur potest dici ab illa editione nouam aetatem Plinianis Epistulis incipere: id quod statim apparet si editiones ante eam diuulgatas, ueluti Cortianam uel Schaeferianam Gierigianamue, cum illa Keiliana comparamus.

Aliquid tamen aliis post sese Epistulas tractaturis relictum esse a Viro doctissimo ipsum minime fugit. Neque aliter id poterat fieri. Nam ut taceam de iis locis, qui in cunctis quos nouimus libris manu scriptis cum sint aperte corrupti, redintegrandi sunt ex sola arte coniecturali (cui semper aliquid restare agendum haud est quod pluribus

moneam), ipsa codicum a Keilio in usum uocatorum indoles fecit ut penitus absolui de illis quaestio non posset. Variae enim sunt et impeditae codicum condiciones, ambigua et lubrica discrepantium scripturarum existimatio [1]) hanc maxime ob causam quod codices illi minime ad unum »archetypon" sic redeunt, ut praeclarum Lachmanni in Lucretio exemplum secutis nobis illud quasi animo fingere liceat, et ubique quid in illo contineretur indagare, sed uehementer inter se discrepant multisque et uariis modis sunt corrupti et interpolati; nec pauci inueniuntur loci ubi codices nos relinquunt incertos, immo plane destituunt. Cui malo ut mederetur Keilius primus in codicibus recte aestimandis operam posuit praecipuam, et cunctis diligenter inter se comparatis ad ueram lectionem reperiendam ubique est usus. Sic certa ratione cum examinaret quid quisque eorum haberet proprium et bonum, mox uidit eos in tria potissimum esse distinguendos genera èt diuerso epistularum numero èt ipsius scripturae discrepantia inter se quam maxime dissimilia. Quod ut breuiter in memoriam hic reuocem: Primum est genus quod nouem epistularum libros complectitur, secundum [2]) centum tantum habet epistulas, lib. I, 1 usque ad V, 6 (Ep. 26 lib. IV illic deest), tertium octauo libro omisso octo libros continet. Genus autem primum, cuius supersunt nobis codices Mediceus (M), XLVII, 36 saec. X, et in libris quattuor prioribus Vaticanus (V), 3864 saec. IX—X [3]), longe est optimum et in uniuersum procul dubio integerrimum. Nec tamen ob ma-

1) Keilii praef. pag. XXXI.

2) Animaduertendum hoc loco est Keilium in editionis Teubnerianae minoris praefatione eorum generum numeros aliter disposuisse, ita quidem ut tertius esset qui nunc est secundus, secundus uero qui nunc tertius.

3) Quibus accedit fragmentum Monacense in cod. 14641, saec. IX, qui inter Gregorii P. epistulas et S. Ambrosii de officiis libros Plinii continet epistulas duas: I, 6 et VI, 10.

nifestam eius praestantiam plus aequo ei est tribuendum. Nam illi codices non solum uulgari librariorum neglegentia uitia traxerunt grauissima, sed — quod maioris est momenti — illorum ex uno eodemque exemplari descriptorum inter se dissensus qui est sat creber, docet iam commune illud exemplar haud paucis locis fuisse lacunosum, uerba aliquot et sententias quae quamcumque ob causam legi non potuerint habuisse, insuper manum interpolatricem non raro esse expertum. Minime igitur possumus carere genere secundo, cuius testes praecipui sunt codices Riccardianus a Cortio citatus, saeculi ut uidetur decimi, et Florentinus (F), S. Marci 284 saec. X, unde plurimi postea sunt descripti. Illi enim libri, qui originem ab M et V utique diuersam iam inde a saeculo X habent, quamquam ex exemplari grammatici cuiusdam constanti studio olim interpolato sunt ducti, permagni tamen aestimandi sunt ad diiudicanda generis primi codicum uitia. Quibus cum saepenumero carent, interdum soli lectionem ueram seruant, saepius uero cum uno uel M uel V facientes, quae corruptelae in illos irrepserint ostendunt et uiam saltem ad repeiendum uerum monstrant.

Tertii uero generis libri saeculo decimo quinto ex uno eoque corruptissimo archetypo descripti, exigui sunt pretii nec nisi summa cautione adhibendi, excepto solo codice Dresdensi (D) olim Casp. Barthii qui fuit. Is enim quamquam cunctis eius generis uitiis et ipse laborat, diligenter tamen est correctus ad exemplar quoddam generis secundi, ideoque una cum F cod. in censum uenire potest.

Praeter illa codicum tria genera quarti cuiusdam uestigia sunt inuenta in codice quodam ut uidetur uetustissimo et integerrimo quem Aldus Pius Manutius in Gallia repertum ad adornandam notissimam editionem an. 1508 adhibuit. Continebat is liber una cum integris nouem

epistularum libris mutuas quoque Plinii et Traiani epistulas. Eius uero memoria ex sola editione Aldina est petenda, cum codex ipse breui post finitam illam deperditus usque ad hunc diem lateat.

Illas autem tam uarias codicum condiciones si contuemur, gratias agamus necesse est Viro doctissimo qui primus uia ac ratione iis excussis et inter se comparatis operosi sui laboris summam nobis proposuit, quique quominus eam quaestionem penitus absolueret hac sola re est impeditus quod duos ex dictis codicibus uidere ipse non poterat, sed iudicare erat coactus ex iis quae ualde incerta ab aliis editoribus antea erant prolata.

Et aegerrime quidem ipse Keilius tulit quod secundi generis testem qui uidebatur praecipuus, codicem Riccardianum 488 (M. II. 11), reperire non poterat. Anno enim circiter 1832 [1]) furto erat ablatus is liber e bibliotheca Riccardiana, neque ubi lateret ullo modo contigit indagare. Adquiescendum ergo erat in iis quae Florentiae olim a Gorio inde enotata Cortius an. 1734 ediderat. Quod cum ualde neglegenter a Cortio factum esset, certum de Riccardiano iudicium ferri nequibat. Sufficiebant tamen pauca illa ut sagaciter perspiceret Keilius fore ut illo recuperato quaedam rectius possent explicari, immo integra de horum codicum stirpe quaestio esset retractanda. Id quod fieri hodie tandem potest. Rediit enim nuper Florentiam uarios post casus codex Riccardianus ibique nunc religiose conseruatur inter permultos illos et antiquissimos codices, quos Ashburnhamus Comes in Anglia olim coaceruauerat emptos maximam partem a uiro nefandae memoriae Guilelmo Libri. Quem furatum eos esse e uariis, Galliae maxime et Italiae bibliothecis publicis cum

1) Cf. Detlefsen in Musei Rhen. tom. XV (1860) pag. 280.

iamdudum essent suspicati et alii, comprobassent uero prae ceteris Delislius Parisinus et Villarius Florentinus, Italiae gubernatores de patriae honore solliciti omnes illos libros quos in Italia antea fuisse constaret, grandi pecunia ab Ashburnhami Com. filio redimere non dubitarunt. Nec uero contenti eo quod tantum thesaurum olim turpissime surreptum patriae restituebant, omnium qui litteras amant commodis egregie inseruire uoluerunt. Iusserunt enim illos libros in publicam Bibliothecam Laurentianam Florentinam inferri ibique eorum usum unicuique liberaliter concedi [1]).

Conseruari autem inter codices Ashburnhamenses a Libri congestos et librum Plinii epistularum ualde antiquum primus an. 1883 docuit Ludouicus Havet, qui pauca inde nactus excerpta sagaciter statim uidit [2]) illum ipsum esse codicem Riccardianum a Keilio tam acriter sed frustra quaesitum. Neque aliter iudicauit Th. Stangl, omnium fere primus qui libris Ashburnhamensibus Florentiam relatis poterat uti, ubi inter alia multa quae summi sunt momenti, adesse uidit codicem quoque epistularum Plinii, quem mox et ipse, Havetii tamen disputationis ignarus, cognouit esse codicem Riccardianum. Et ex iis quae interim de eo monuit in Philologi tom. XLV (an. 1886), pag. 220—223 apparet quam recte olim iudicarit Keilius. Quare magnopere est optandum ut breui soluat Stanglius id quod ibi est pollicitus, se fusius de illo codice esse disputaturum uariasque illius lectiones nobiscum communicaturum.

---

1) Cf. Th. Stangl in Philologi tom. XLV (an. 1886), pag. 201—236, maxime uero L. Delisle, Notices sur des manuscrits du fonds Libri conservés à la Laurentienne à Florence (= Extrait des Notices et Extraits des manuscrits de la Bibliothèque Nationale etc. XXXII, 1e partie, 1886, pag. 1 sqq.), ubi pag. 43 (n° 98) citatur codex Plinii Riccardianus.

2) In: Revue critique d'histoire et de littérature, XVIIe année, 2e série. — Nouv. série, tom. XVI (1883), pag. 251—254.

Illa igitur ex parte cum Plinii epistularum recensioni bene nunc potest consuli recuperato codice Riccardiano, alterum restat quod propter bonorum codicum inopiam penitus absoluere Keilio non licuit, seriori tamen aetati copiis ab illo oblatis usae fortasse aliquando licebit. Scilicet summa cum cura ubique est quaerendum siqui ipsius primi et optimi codicum generis testes illius sagacitatem fugerint, supersint tamen et in usum uocari hodie possint. Quod eo magis foret exoptatum cum bonorum codicum numerus quamuis uideatur sat magnus, reuera sit ualde paruus. Nam secundo genere quod, ut dixi, centum tantum continet epistulas, in magna epistularum parte (IV, 26; V, 7—IX, 40) caremus ad iudicandas generis primi lectiones; tertium autem genus nullius fere est pretii. Hîc igitur ex solo genere primo pendet recensio, maximam uero partem ex solo cod. Mediceo. Eius enim gemellus Vaticanus libros V—IX integros amisit, et in fragmento uetustissimo Monacensi duae tantum epistulae sunt seruatae.

Et facile mehercle nos consolaremur de illa bonorum librorum paucitate, si qui nobis supersunt fideles ubique duces sequi possemus. At minime ita est. Nam quamuis sint auctoritatis plurimae, multa tamen habent corrupta, locisque compluribus opera interpolatoris cuiusdam sunt deformati, ut non solum diligenti cum libris generis secundi comparatione euincitur, sed ipse docet dissensus sat creber inter M et V, qui tamen quin ex uno eodemque exemplari fluxerint dubitari nequit. Inueniebantur nimirum illa uitia iam in eorum archetypo. Cuius quae fuerit indoles ut animo nobis quam accuratissime fingamus, id semper erit officium praecipuum. Et subuenire quidem aliquo modo poterat Keilius illi malo ex editione Aldina an. 1508. Aldus enim, ut dixi, codice est usus in Gallia reperto, sed postea amisso, qui Mediceum cod. non solum integritate uerum etiam bonitate

uidetur superasse. Parum uero inde lucramur, nam praeter pauca quae Guil. Budaeus (in annotationibus in XXIV Pandectarum libros, Parisiis an. 1508 primum editis) ex illo citauerat, nihil de eo compertum habemus nisi ex sola Aldina. In qua cum epistulae ad sex fere uel septem diuersi admodum generis codices promiscue sint recensitae, insuper uero Aldus coniecturis siue suis siue Iucundi Veronensis saepenumero indulserit, statim apparet Keilio rem fuisse arduam et ualde lubricam de uetusto illo libro in Gallia olim qui fuerit inde ferre iudicium.

Aliquanto autem melius ea de re nunc demum posse iudicari felici debetur E. G. Hardyi inuento. Is enim uir doctus repperit nuper [1]) Oxoniae in Bibliotheca Bodleiana editiones Beroaldinam an. 1498 et Auantianam an. 1502, quibus praeter mutuas Plinii et Traiani epistulas mss. additae sunt uariae lectiones ipsius illius nisi omnia fallunt codicis Aldini. Et utilissime illo nouo subsidio iam ipse Hardy est usus in nuperrima sua Plinii et Traiani epistularum mutuarum editione [2]). Quid uero ad emendandos epistularum libros I—IX inde sit redundaturum, nondum satis constare uidetur.

An uero adeo nobis umquam sit fautura fortuna, ut siue ille ipse in Gallia olim repertus et a Budaeo Aldoque citatus, siue alius quis optimi generis codex integer alicubi terrarum emergat, ualde est incertum. Nec tamen omnis est abicienda spes. Haud enim paruus est aestimandus earum bibliothecarum numerus quae thesauros nondum exploratos, certe non exhaustos continent, nec nimis audacis est praesagire fore ut illis cunctis diligenter peruesti-

---

1) Cf. Hardy in The Journal of Philology, XVII (1888), pag. 95—108; C. G. I. Wilde S. I., de C. Plinii Caec. Sec. et Imp. Traiani epistulis mutuis disputatio (Lugd. Bat. 1889), pag. 22; 111 sqq.

2) Londini, an. 1889.

gatis Plinianis quoque epistulis recensendis noua lux adfulgeat. Quod cum felicioribus iam nunc relinquo, pauca quae ipse inueni edere hoc loco decreui. Quamquam enim non nisi paruum admodum fragmentum habeo offerendum — duas e magno numero epistulas — non tamen retinendum id esse censui, cum quia fragmentum illud bonitate non minus quam uetustate ad optimi generis M et V codices proxime accederet, tum uero quia ob rationes palaeographicas momenti esset haud sane spernendi, scriptum scilicet notis Tironianis.

Inueni nuper id fragmentum in codice Leidensi Vossiano Lat. Q. 98, qui e duabus constans partibus a duobus librariis saec. IX descriptis et iam tunc in unum corpus redactis, continet in parte priore (fol. 1r—73v) S. Augustini de baptismo paruulorum deque patientia libros et Pseudo-Ambrosii (Maximi Taurinensis Episcopi?) sex libros de sacramentis [1], in parte autem altera (fol. 74r—157v) S. Augustini de perfectione iustitiae hominis, de natura et gratia, de libero arbitrio libros, et librum de correptione et gratia tantum non omnem: desinit enim in uerbis: *aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* = Cap. 41, in edit. Benedict. tom. X, col. 510 F. Reliqua nunc sunt amissa. — Qui codex unde in manus peruenerit Is. Vossii iam non posse erui ualde est dolendum: inscriptum olim fol. 1r aliquid fuit quod ea de re fortasse quaedam monebat, sed consulto id erasum ne chemicis quidem medicamentis hodie reuocari posse uidetur. Hoc tamen ipsa scriptura quasi certissime docet codicem e Galliae quodam monasterio, praeclara bene pulchreque scribendi schola, esse oriundum.

Inter illas autem duas partes inferior folii 73v et superior

---

1) Quibus est inscriptum: *Incipit de sacramentis sancti ambrosii liber primus.*

folii 74r partes uacuae olim relictae uariis postea modis sunt conscriptae. Et folio quidem 74r usus est doctus aliquis librarius saec. nono uel ineunte decimo, ut scripto mandaret Plinii epistularum initium [1]), epistulas I, 1 et 2 usque ad uerba: *nisi tamen auribus nostris* (pag. 4 lin. 19 in edit. Keil. mai.). Vt uero in spatio artissimo quam plurima describeret, non cuncta uocabula plene scripta posuit, sed pleraque per notas Tironianas significare maluit. Quae notae cum primo obtutu haud faciles sint lectu, totum fragmentum solutis notis hic edere libet [2]).

Lin. 1. Frequenter ortatus es ut aepistolas si quas
2. paulo cura maiore scripsisse[m]. Colligere[m] publicare[m]q[ue] Collegi
3. *non seruato* temporis *ordine. neque enim* istoria[m] componeba[m] *sed ut qu[a]eque* in man[us] uenerat.
4. rat. *Super est ut nec* consilii. *nec me* peniteat obsequii. *ita fiet ut eas qu[a]e adhuc*
5. neglecte iacerent requira[m] *et si quas* addidero *non* supprima[m] *uale*

6. Quia tardiore[m] *aduentum tuum* prospicio *librum quem* priorib[us] *epistolis promiseram* exhibeo
7. *hunc rogo ex consuetudine tua et* legas et emendes eo magis *quod nihil umquam per*aequ[a]e
8. *eodem libro* scripsisse *uideor. temptaui enim* imitari *demosthenen semper tuum* nup[er] *meum dumtaxat figuris*
9. *multis* Nam *uim tantam uerborum pauci quos*

1) Et in alio codice, scil. Monacensi 14641 (Catal. Bibl. Reg. Monac. tom. IV, part. II, n° 1615) duae Plinii epistulae insertae sunt folio uacuo inter Gregorii P. epistulas et S. Ambrosii de officiis libros. Cf. pag. 6, not. 3.

2) *Inclinatis litteris* edam quae in codice notis Tironianis sunt scripta.

aequus *amauit.* Qui *possunt. nec materiam ipsa* ~*huic*
10. uereor *ne inprobe dicam* aemulatione *repugnauit.*
erat enim prope tota in contentione dicendi quod
11. *me longe* desidi[a]e *indormientem excitauit. Si modo*
is sum *ego ut excitari possim. non tamen*
12. *omnino ibi* fugiamus *ut* etia[m] paulu[m] *itinere*
cedendo intempestiuis *amoenitatibus*
13. *submouemur.* Acres *enim non tristes esse* uoleba-
mus *nec est quod* putes *me sub* hac
14. exceptione *ueniam postulare.* Nam *quo magis* inten-
dam *limam tuam confitebor et ipsum*
15. *me et* contub[er]nales *ab editione non* abhorrere *si*
modo non fortasse
16. *errori nostro* albu[m] calculu[m] *adieceris.* Est *enim*
aliquid plane *edendum atque utinam hoc*
17. potissimu[m] *quod paratum est* audias desidiae
uotum Edendu[m] *autem ex pluribus*
18. *causis maxime quod* liberi *quos emisimus dicuntur*
in manib[us] e[ss]e *quamuis gratiam* nouitatis
19. exuerint *nisi tamen auribus* n o s t r i s

Hunce autem quem exhibui uerborum contextum siquis cum Keilii »apparatu critico" compararit, statim uidebit Vossianum fragmentum artissime cohaerere cum M et V optimi generis primi codicibus, a reliquis uero ualde alienum esse. Quod quo magis fiat conspicuum, omnia quae alicuius momenti uidentur — nam orthographica et minora quaedam non moror — in formam tabellae redacta hic propono:

Edit. Keil. mai. pag. 3, *lin.*	*Codd.* M—V.	*Codd. reliqui.* [1])
7. curatius	cura (curam M) maiore *Voss.*	[ac]curatius
pag. 4, *lin.*		
1—2. umquam peraeque	umquam peraeque *Voss.* (peraequ[a]e)	ante peraeque; unquam precipue
2. ζήλῳ	libro M, *Voss. Lacuna in* V, *sed in marg.* (*man.* 2?): stillo	ζήλῳ; zelo; stilo; stillo
3. Calvum	*omittunt* M, V, *Voss.*	Caluum
4. orationis	multis M, *Voss. In* V *pro* multis *in litura, man. rec.*: orois	orationis
4. tantorum virorum	tantam uerborum *Voss.*	tantorum uirorum
4. pauci quos aequus amavit	pauci quos aequus amauit *Voss.*	pauci [*lacuna in* F]equitius F, *Riccard.*; pauci quos aequos D.
5. adsequi	qui *Voss.*	adsequi; Iupiter assequi
5. materia	materiam *Voss.*	materia
6. aemulationi	aemulatione *Voss.*	aemulationi
8. qui	ut *Voss.*	qui
9. ληκύθους fugimus	ibi fugiamus	ληκύθους fugimus
9. quotiens	ut etiam *Voss.*	quotiens
9. decedere	cedendo *Voss.*	decedere
9. non	*omittunt* M, V, *Voss.*	non
10. admonebamur	submouemur *Voss.*	ad [sub] monebamur
14. tu	non *Voss.*	tu
15. plane aliquid	aliquid plane *Voss.*	plane aliquid
16. audis	audias *Voss.*	audis

Docet haec tabella quantopere conspiret fragmentum Vossianum cum M—V codd. ubi illi soli a reliquis discrepant, neque est dubitandum quin et *Voss.* et M—V originem ducant ex uno eodemque archetypo. Quod tamen cum, ut demonstrauit Keilius, contineret quaedam seu uetustate detrita, seu quamcumque aliam ob causam incerta atque etiam interpolata et deformata, non est mirandum si semel facit *Voss.* cum alterutro ex M—V, discrepat ab altero, scil. pag. 3, lin. 10: nec consilii V, *Voss.*, nec te consilii M cum reliquis, uel si in tam arta necessitudine inueniuntur tamen quaedam uni Vossiano propria. Quae praeter inscriptiones a *Voss.* omnino omissas, sunt haece:

1) In hac tabella continere me uolui in citandis ipsis a Keilio usurpatis codd. manu scriptis, neque et editionum ueterum lectiones c u n c t a s enumeraui. Earum enim ad codices uarios promiscue recensitarum fides est ualde incerta. Quodsi igitur rectissime et illas hic illic in usum uocauit Keilius, ne quid operi suo deesset, huic tamen meo proposito ut alienas eas plerasque omisi.

Keil. pag. 3, *lin.*	*Voss.*	M—V *cum reliquis*
11. enim	*omittit*	enim
iacent	iacerent	iacent
pag. 4, *lin.* 8. Marci nostri	*omittit*	marcino[s] M, V, marci [nostri] *reliqui*
17 libelli	liberi	libelli
18 iam	*omittit*	iam

Neque alio modo explicandum esse uidetur quod semel contra M—V consentit *Voss.* cum secundi generis codice Florentino, pag. 4, lin. 10 in uerborum ordine: esse non tristes M, V, non tristes esse F, *Voss.*

Accedit ergo fragmentum nostrum Vossianum duobus optimi generis primi codicibus, et in duabus saltem epistulis prioribus nouum eius generis testimonium inuenimus quo docemur fuisse in Gallia saec. IX—X in. codicem epistularum Plinii descriptum ex eodem archetypo ex quo et M et V codices duxerint originem. Neque spernendum est tale testimonium ad cognoscendam peruulgati olim eius operis historiam, etiamsi uariae quae dicuntur lectiones ad emendanda Plinii uerba pretii sunt exigui. Nam praeter integra et bona quae *Voss.* continet communiter cum M et V, pauca tantum habet peculiaria, minorisque momenti ea sunt, et hac sola re memoratu digna uidentur, quod archetypi illius imaginem aliquantum sane illustrant, ubi illud lacunis quibusdam uarie postea expletis hiabat. Vlterius uero progredi non sine summa dubitatione ausim. Etenim an intercedat ulla necessitudo inter Vossiani archetypum et ueterem illum cod. Aldinum itidem in Gallia repertum, ob incertam quam Aldini adhuc habemus notitiam nequit statui.

Desinit uero Vossiani librarius non in fine epistulae secundae, sed in linea eius paenultima (in edit. Keil. mai.), neque sic fecit quia spatio ad describenda plura carebat: — sex enim supersunt in eodem folio lineae uacuae ante titulum insequentis libri S. Augustini, et ultimum quod est scriptum nostris uocabulum ita est distensum, ut

appareat librarium plura describere noluisse. Alia igitur est causa quare in nostris potissimum uocabulo finem ille fecerit, et iure mihi uideor conicere ideo id esse factum quod in illius archetypo pagina prima eo ipso uocabulo clauderetur. Quod si ita est, indicium fortasse ibi habemus de archetypi forma externa. Cum uero agatur de epistularum initio, non nisi dubitanter id uelim proponere. Forsitan enim aliquid spatii ibi fuerit relictum titulo alicui epistulis praefigendo [1]: quam ob causam saepius in codicibus ipsa pagina prima a reliquis differens cum illis comparari non sine summa cautione potest.

Fragmentum igitur hoc Vossianum ideo alicuius est momenti, quod optimorum codicum auctoritatem confirmat iisque nouum accedit, quamuis paruum, testimonium. Aliam uero ob causam idem est aestimandum quam maximi, scilicet ob rationes artis palaeographicae, utpote scriptum notis Tironianis. Quae notae cum per se omnino dignae sunt quae cognoscantur, tunc uero in hoc fragmento peculiare quoddam habent quo se commendent. Vetustissimum nimirum et fere unicum hic habemus exemplum operis alicuius »classici", ut dicere mihi liceat, auctoris his notis conscripti. Plerumque enim notae, quae quidem cognitae sunt, adhibebantur ad celerius scribenda ea quae in uniuersum satis nota erant et memoriter fere retenta, ueluti in psalteriis, quorum numerus superest sat magnus, — ut pulcherrimum illud Guelpherbytanum a Lehmanno editum [2] — quaeque ad exercendam scri-

1) Nam quod in fragmento Vossiano titulus inuenitur nullus, minime inde efficitur archetypum quoque eius titulis caruisse. Contra ueri est simile in integro codice titulos singulis epistulis fuisse praefixos quales ex. gr. in M et V codicibus.

2) Das Tironische Psalterium der Wolfenbütteler Bibliothek. Herausgegeben vom Königl. Stenographischen Institut zu Dres-

bendi celeritatem potissimum ita scripta esse constat [1]).

Idem fere ualet in diplomatibus seu tabulis publicis, ubi certae formulae saepius redeunt. Et in scribendis illis ipsis uel saltem in subscriptionibus usum notarum — Merouingicis maxime temporibus — perdiu uiguisse, notum est uel e libro Dom. Carpentierii, qui talia aliquot Ludouici Pii diplomata edidit [2]) quibus speciosius quidem quam uerius inscripsit: „Alphabetum Tironianum seu notas Tironis explicandi methodus" (Paris., 1747). Ex quibus [3]) ita scribendis nomen habere Notarios non est quod moneam. Notarii autem ut memoriae in ingenti notarum numero succurrerent, ad manus habebant indices seu promptuaria. Et ualde probabiliter statui solet Lexica Tironiana hodie seruata ex illorum officinis esse oriunda: id quod de uno saltem constat, nempe de Lexico Vossiano (cod. Leidens. Voss. Lat. O. 94) in quo nomen inuenitur Heriuei, Remensium an. 900—922 Archiepiscopi. Ille enim primo notarii dein cancellarii publici munere functus eos notarum indices uel ab ipso uel — quod ueri est similius — ab alio quodam confectos usurpauit [4]).

Adhibebantur porro notae saepissime in ueterum librorum marginibus ad celeriter quaedam adnotanda quae aut ipsum uerborum contextum plene descriptum illustrarent, aut de

---

den. — Mit einer Einleitung und Übertragung des Tironischen Textes von Dr. Oskar Lehmann. Lips. 1885.

1) Cf. ex. gr. P. Mitzschke, Quaestiones Tironianae, Berol. 1875, pag. 11.

2) Quibuscum nunc comparandus est Guil. Schmitzii Monumentorum tachygraph. cod. Paris. Lat. 2718 fasciculus prior, Hannouerae, 1882.

3) Cf. Th. Sickel in „Sitzungsberichte der phil.-hist. Classe der kais. Akad. d. Wiss. Wien", XXXVIII, 1861, pag. 20 sqq. — Merouingica quae supersunt diplomata enumerata uide ab H. d'Arbois de Jubainville in „Bibliothèque de l'École des Chartes", XLI, 1880, pag. 85 sq. Cf. (Iul. Havet) ibid., XLVI, 1885, pag. 720.

4) Cf. Guil. Schmitz in Mus Rhen. XXIX, 1874, pag. 350 sq. (= Beiträge zur latein. Sprach- und Literaturkunde, Lips. 1877, pag. 238 sq.).

opere ibi contento eiusque auctore pauca docerent. Talia et in hoc nostro codice — ut infra indicabo — inueniuntur, et in permultis saec. VIII—XI codicibus e Gallia maxime oriundis leguntur: multa inde a uariis uiris doctis sunt edita, plurima adhuc latent. In iis uero quae in illis commentariis leguntur saepenumero carbonem, ut aiunt, pro thesauro inuenimus.

Praeter haec quae enumeraui notis Tironianis scripta, adsunt exempla admodum pauca quae ostendunt librarios notarum peritos auctoris alicuius ueteris opus uel totum uel partim ita descripsisse. Sunt autem fere haec:

Boethii de consol. phil. (III, 5) uersus decem in Vergilii cod. Paris. 7925 (Colbert. 2077), saec. IX.

Isidori Orig. cap. de orthogr., Defensoris Lococciagensis monachi [Pseudo-Bedae] Scintillarum cap. de curiositate, alia quae ex codd. Vatican. Reg. 846, saec. IX—X, et Bruxell. saec. X, edidit Guil. Schmitz in progr. Gymn. Guil. Imp. Colon. 1880—1881.

S. Ambrosii, S. Augustini, aliorum excerpta quaedam, quibus accedunt Marci cuiusdam medici dicta, ex cod. Bern. 109, saec. X, ed. H. Hagen in progr. Acad. Bern. 1880.

Octauiani Caesaris Epigramma: *Conuiuae, tetricas hodie secludite curas*, ex eodem cod. Bern. ed. Hagen, ibid. et in Mus. Rhen. XXXV, 1880, pag. 569 sqq.; Baehrens in Poet. Lat. Min. IV, pag. 111.

Bedae de temporum ratione, de VI aetatibus mundi, cet. excerpta in cod. Ambros. M. 12 *sup.*, saec. IX. Cf. Schmitz, Beiträge cet. pag. 259.

S. Iohannis Chrysostomi de cordis conpunctione ll. II Latine uersi, ex cod. Paris. Lat. 2718, saec. IX, ed. Schmitz, Monumenta tachygraphica cod. Paris. Lat. 2718, fasc. alter, Hannouerae, 1883.

S. Chrodegangi Metensis Episcopi Regula Canonicorum, ex cod. Leidensi Voss. Lat. F. 94, saec. IX—X, ed. Schmitz, Hannouerae, 1889.

Carmen cod. Monac. 18628 (Teg. 628) fol. 94^{v}, col. 2, saec. X, post Sedulii, Walafridi Strabi, Eugenii Toletani uersus. Cf. Ferd. Ruess, Ueber die Tachygraphie der Römer (Monac. 1879), pag. 29 et tab. 61.

Prognostica, S. Hieronymi in Matth., Grammatica quaedam excerpta, ex cod. Bern. 611 (uide Hageni Catal. Bern. n°. 611), saec. VIII—IX, ed. Schmitz in Deutsche Stenographen-Zeitung, III, 1888, pag. 360 sqq. — Quibuscum cohaeret:

S. Gregorii M. Regulae pastoralis part. III, cap. 12, quod ex eiusdem codicis parte altera, nunc cod. Paris. Lat. 10756, nuperrime ed. Schmitz in »Festschrift herausgegeben bei Gelegenheit der Enthüllung des Gabelsberger Denkmals am 10 August 1890, vom Hauptfestausschusse" (Monac. 1890), pag. 116 sqq.

Formulae piae et Epistola consolatoria ad pergentes in bellum, ex codd. Vatic. Reg. 852, saec. X et 846, saec. IX, ed. Schmitz in »Neues Archiv der Gesellsch. f. ält. deutsche Geschichtskunde", XV, 1890, pag. 602 sqq.

Narratur porro (Isidor. ed. Areual. III, 36; Kopp, Palaeogr. crit. I, 326) de alio codice Isidori Vaticano notis Tiron. descripto. Qui tamen liber — si umquam fuit — hodie certe in Vaticana non reperitur.

Denique Hygini Astronom. codex notis scriptus in eadem Vaticana fuisse dicitur a P. Bembo qui XIII Kal. Febr. an. 1513 ad Iulium II Papam sic fere scripsit [1]) (Epist. fam. V, 8): » ... liber superioribus diebus

1) Post Gruterum, Koppium, Tardif citauit illa R. Foerster in Jahrbücher für Philologie cet., CXXI, 1880, pag. 56.

e Dacia ad te missus [est], notis perscriptus cum uetustissimis, tum aetate nostra inusitatis atque incognitis, quaeque legi posse nullo plane modo uidebantur..... Erat autem is quidem liber Higini commentariorum de sideribus quaedam portio". Neque uero in Vaticana exstat ille liber neque a Schmitzio quamuis acriter quaerente ullum eius uestigium est repertum. Quare ualde est dubium utrum talis codex olim reuera exstiterit an de notis errauerit Bembus.

Apparet ergo quantopere sint rara exempla operis alicuius ueteris saec. IX—X notis Tironianis descripti. Simul uero uidemus inter pauca illa fragmenta nobis esse seruata quaedam quae licet ipsarum notarum studio sint utilia, nobis tamen ob argumenti naturam a litteris nostris alienam parum prosint. Neque iniuste queritur Koppius in Palaeogr. crit. I, pag. 326 plurimis libris Tironianis ea contineri quae cognoscere doctorum uirorum haud multum intersit [1]). Valde acceptum igitur esse debet hoc fragmentum epistularum Plinii in Bibliotheca nostra inuentum. Rarissimum enim ibi habemus exemplum quod ostendit opus auctoris alicuius »classici" potissimum dicti notis esse exaratum, neque ullum aliud nouimus opus tam uetustum (uno excepto Octauiani illo paruo Epigrammate ab Hageno in lucem protracto [2]) a notariis uel ex parte aliqua descriptum.

Idem autem librarius qui hoce nobis seruauit fragmen-

1) Similiter locutus est nuperrime G. Meyer Spirensis, Die Berliner Centones der Laudes dei des Dracontius [cum II tabulis not. Tiron.] (Sitzungsber. d. kön. preuss. Akad. d. Wiss. 1890, XV, d. 13 m. Mart.) pag. 293: „Im Allgemeinen wurden die Noten..... nur zu ephemeren Dingen verwendet und selten wird man einen wichtigen Text in tironischen Noten geschrieben finden".

2) Nam illud epigramma non medii aeui sed antiqui esse, immo ab ipso Octauiano confectum, iure — ut mihi quidem uidetur — statuerunt Hagen et Baehrens, ll. ll.

tum, et alia quaedam iisdem notis scripta addidit, de quibus iam nunc breuiter est agendum. Et primo quidem ad S. Augustini libellos qui in altera codicis parte continentur pauca adnotauit, quae tamen exigui admodum sunt momenti. Plerumque enim iis nonnisi uerba in ipso textu contenta geminantur uel paucis illustrantur. Neque inter ipsas illas notas quae marginibus sunt additae ullam repperi memoratu dignam.

Aliud uero adscripsit librarius ille quod magni est faciendum, scilicet indicem omnium librorum in posteriore codicis parte qui fuerunt. Quam »adnotationem" inseruit ille in fine prioris partis codicis, fol. 73[v], itaque inter Pseudo-Ambrosii de sacramentis libri sexti finem et (fol. 74[r]) fragmentum Plinianum. Diserte hoc moneo quia in tabula photographice depicta quam huic opusculo adieci ordo est inuersus. Ad uitandos enim sumptus nimios coartare ibi debui quae in ipso codice duabus paginis sunt scripta: id quod eo magis uidebatur licere, cum paginae quae Plinianum fragmentum continet pars reliqua in codice uacet scriptura, nisi quod in ima pagina legitur titulus S. Augustini libri uersa pagina insequentis. Legenda autem ea solutis notis sunt ita:

Lin. I. adnotatio codicis

II. *huic* codici *h*[*a*]*ec* ins[unt]. *ad* paulu[m] *et* eutropiu[m] *de perfectione* iustitiae *hominis liber* unus *sancti* aug[u]s[tini]. *eiusdem ad* timasiu[m] *et* iacobu[m] *de* natura *et gratia*

III. *liber* unus. *ad* ualentinu[m] *et cum illo* monachos *epistol*[*a*]*e* duae. *ad* eosde[m] *de gratia et* libero arbitrio *liber* prior [1]). *item ad* eosde[m] *de*

IV. correption[e] *et gratia liber* posterior [2]). *epistola*

1—2) p r i o r . . . . p o s t e r i o r. In codice est: I. . . .II. Libros autem de gratia et libero arbitrio deque correptione et gratia inter se coniunctos in cod.

p[ro]speri *ad sanctum* aug[u]s[tinum] *de* quer[elis] galli[ae] [1]) Epistola Ilarii *ad sanctum* augustinu[m] *de eadem*
V. re [2]). *de* p[rae]destinatione *liber* unus. *de bono* p[rae]destinationis *liber* unus [3]).

Videmus hoc loco librarium in indice seu catalogo conficiendo occupatum et codicis sui contenta accurate enumerantem. Simul uero docemur in codice Vossiano nunc mutilo — desinit enim, ut dixi, in libri de correptione et gratia cap. 41 — plura olim fuisse opuscula. Sunt autem ea quae in multis codicibus mss. et editionibus peruulgatis coniuncta cum iis quae nunc supersunt in Vossiano, leguntur.

Ad ipsas uero notas quod attinet, non est quod de historia uel de arte et ratione earum fusius agam. Nam siue ab ipso Tullio Tirone Ciceronis liberto illae sunt inuentae, siue iampridem cognitae ab illo demum ad artis praecepta reuocatae sunt et sic per longum temporis spatium usurpabantur, hoc tamen constat notas nobis nunc seruatas omnes intra saec. VIII—XI fines contineri, plerasque uero saec. IX—X esse scriptas. Attamen res est difficillima de uera notarum aetate ex ipsis earum rationibus et formis paullo accuratius iudicare. Cui rei neque hoc multum pro-

---

Voss. (ut in aliis multis codd.) esse, docent haec uerba quae (fol. 141) inter eos sunt inserta: „Explicit liber primus Aurelii Augustini Episcopi de gratia et libero arbitrio. Incipit eiusdem secundus de correptione et gratia".

1) Epistula Prosperi ad Augustinum de reliquiis Pelagianae haereseos in Gallia sobolescentibus, deque huiusmodi hominum querelis aduersus Praedestinationis et Gratiae doctrinam .... Augustini opusculis, praesertim libro de Correptione et Gratia explicatam. — Epistula inter Augustinianas n° CCXXV (Augustin. ed. Benedict. tom. X, 513 sqq.).

2) Hilarii de eadem re epistula, inter Augustinianas n° CCXXVI (Ibid. 517 sqq.).

3) Leg.: de bono [aut dono] perseuerantiae liber unus, qui in edit. Benedict. tom. X, 541 sqq. librorum de praedestinatione est posterior.

dest quod olim est obseruatum labente sensim illarum studio uocabula quaedam plene scripta notis intermisceri esse coepta; opus igitur notis perscriptum eo esse recentius quo plura uocabula plene posita contineat. Etenim in permultis opusculis hac nostra aetate a Guil. Schmitzio maxime editis uidemus talia uocabula iam ualde antiquitus, haud dubie uero iam nono saec., notis mixta saepenumero fuisse. Quamobrem quod eodem illo modo descriptum est fragmentum nostrum, non tamen inde argumentum licet haurire ad eius aetatem accuratius definiendam. Tutius uero id potest fieri ex ipsis plene scriptis uocabulis quae si non noni sunt saeculi, certe ineunte saec. decimo recentiora esse nequeunt.

Cum autem eas notas arte photographica fideliter expressas hic propono, uiris doctis qui talibus studiis incumbunt, haud ingratum id fore confido. Quamquam enim longe absumus hodie ab ignorantia illius aetatis qua ex. gr. de codice quodam Tironiano dicebatur: »ubi sunt notae scribendi prorsus ignotae" (ut in catalogo Bibl. Leidensis an. 1716, pag. 375), uel Psalterium quoddam Tironianum confundebatur cum libro lingua et litteris Armenicis scripto [1]), nondum tamen eo est peruentum ut omnium quotquot exstant notarum sat fideles sint exhibitae imagines. Si quae uero nouae alicubi reperiuntur, nouam quandam utilitatem fere semper adferunt et editu dignae merito iudicantur. Neque magis opus erit multis praedicare fructum magnum qui e notis diligentius pertractatis percipitur studiis litterarum, grammaticis praesertim, orthographicis, lexicographicis. Dudum enim Ritschelius, maxime uero Guil. Schmitzius eius discipulus exemplis luculentis comprobarunt uberrimum hunc esse fontem nec sine graui

---

1) Cf. Io. Cannegieter, Disquisitio de notis et siglis (in Eiusdem edit. Vlpiani fragm. libri sing. regularum, Traiecti ad Rhen., 1768), pag. 298.

damno olim neglectum ex quo haurire possimus. Quare hoc dolendum est quod adeo pauci uiri docti notarum studiis dant operam; plerique: »Notae sunt, non leguntur" existimant. Cuius despicientiae causa praecipua est sita in duplici earum natura. Etenim tachygraphi hodie qui sunt plerique illas ut Latinas et obsoletas philologis relinquunt, philologi contra, paucos sed eximiae doctrinae uiros si exceperis, ad tachygraphos remittendas censent. Accedit quod notarum studium uidetur difficillimum nec nisi paucissimis successurum. At in maius multo extolluntur illae difficultates. Nam etsi equidem certe non is sum qui facile dixerim illarum studium, non tamen id hac nostra aetate ita est reclusum ut diligenter quaerentibus non aliqua earum notitia possit comparari. Quid enim? Vetustiores de notis qui egerunt auctores, inprimis Gruterus in thesauro notissimo [1]), magnum quidem numerum notarum exhibuerunt, sed cum putarent illas esse sigla uariis modis et arbitrarie ficta, continebant se in describendis quotquot reperiebantur: explicare uero eas cum nec tentarent nec possent, a memoria nostra plus aequo exigebant. Neque ipse Koppius uitio illo prorsus caret. Quamquam enim primus fere notarum ueram naturam perspexit et egregie de iis tractat, lexicon tamen eius usui cotidiano minime est aptum; nam notas per litterarum quendam ordinem dispositas ita edidit, ut difficillime quicquam mehercle in iis reperias, nisi quid sit reperiundum, antea cognoueris. At procedente tempore G a b e l s b e r g i u s, recentiorum tachygraphorum facile princeps, et I u l. T a r d i f id quod Koppius coniectura potius est adsecutus quam facto comprobauit, longius sunt prosecuti: inprimis uero G u i l. S c h m i t z, qui in hisce studiis nunc fere regnat, luce clarius demonstrauit notas Tironi-

1) Cuius editio optima inuenitur in fine G r u t e r i Inscriptionum Antiquarum totius Orbis Romani editionis Commelinianae [an. 1602] primae.

anas non esse sigla arbitrarie ficta et memoria tantum a notariis retenta, sed constare eas ex elementis ipsius scripturae Latinae maiusculae (seu potius cursiuae quae pars est habenda maiusculae), quamquam coartatis, decurtatis, deformatis pro necessitatibus uocabula scribendi quam celerrime. Illud uero si teneas et diligenter perlectis Schmitzii uariis opusculis ad Tardifii [1]) praesertim indices admirabilem in modum simplices docteque dispositos te conferas, mox plerumque deprehendes ex quibus potissimum elementis quaeque nota constet. Elementis autem cognitis res fit facilior; tunc enim in Koppii thesauri parte altera uel in notis Bernensibus a Schmitzio editis uocabula illis elementis formata pleraque reperies. Illa saltem ratione mihi ipse consului. Cum enim notis Tironianis horas subseciuas aliquot darem, mox perspecto magno earum in arte palaeographica exercenda commodo, hoc fragmentum meo Marte tentaui legere, et iis quos dixi libris sedulo euolutis pleraque soluere mihi contigit. De paucis quae incerta mihi uidebantur, confidenter adii ipsum Guil. Schmitzium. Hunc autem statim beneuolentissime respondisse et auxilium egregium mihi tulisse — qua est singulari humanitate multis saepe probata — uix opus est narrare: narro tamen propterea, ut et hoc loco gratias meas sinceras Viro eximio offeram.

Restat ut notarum omnium quae in duobus hisce fragmentis inueniuntur, indicem componam et singulas comparem cum iisdem uel simillimis, quae in editis notarum laterculis, maxime uero in Koppii Lexico Tironiano, exstant. Nam etsi Schmitzii *Notarum Bernensium* indices accuratiores doctiusque dispositos esse probe noram, in uniuer-

---

1) Iul. Tardif, Mémoire sur les notes tironiennes. 1854. (Mémoires présentés par divers savants à l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres de l'Institut Impérial de France. 2e série, tom. III, pag. 104—171).

sum tamen Koppii potius Lexicon citandum duxi, cum hoc sit satis peruulgatum, illi uero haud ita facile possint consuli, quippe qui sint editi in commentariis tachygraphicis »Panstenographicon" (I, 3—4, an. 1874), qui in multis Bibliothecis publicis desunt, in nostra saltem patria nonnisi raro admodum reperiuntur. Quare notas reuocabo ad Koppii Lexicon [1]) ubicumque illud uidetur sufficere; in iis uero quae omissa ibi sunt aut minus accurate exhibita, ad Schmitzii aliorumque libros relegabo. Ipsa autem notarum elementa litteris indicabo maiusculis, quibus praeeunte Koppio uncinis inclusae addentur quae itidem in illis non »tam expresse significatae sunt quam aut tectius subobscuriusque aut apertius Notarum ductibus sublucent uel uidentur saltem sublucere" (Schmitz). Titulas uero siue notas auxiliares quae uariis modis adscriptae sunt ipsis notis proprie sic dictis et ad terminationes uocabulorum fere omnes spectant, eodem modo solutas litteris *inclinatis* proponam.

1) Numeri nude positi paginas indicant Koppii Lexici Tironiani, Palaeogr. Crit. tom. II.

a. lin. 3.

N(o), non 238.
SR*TO*, seruato 358. 380.
O*N(e)*, ordine 248. 235.
N(e)Q, neque 245.
E(n)*V(m)*, enim 114. 389.
SD(u), sed ut 338. De uocabulis duobus uel pluribus in unam notam coartatis cf. ex. gr. Lehmann, „Das Tironische Psalterium d. Wolfenb. Bibl.", pag. 39.
QV(e)., qu[a]eque 310. 409. Cf. Ruess, „Der Punkt in den tiron. Noten", in: „Ueber die Tachygr. d. Römer", pag. 5 sqq.

lin. 4.

S., super 328.
E(s), est 114.
V, ut 389.
N(e)C, nec 239.
M(e), me 216.
IT, ita 194.
F(*e*)*T*, fiet 135. 367.
ut. lin. 4.
EA(s), eas 114.
QV(e), qu[a]e 310.
A(du)C, adhuc 8.

lin. 5.

(e)T, et 367.
S(i), si 330.
Q*A(s)*, quas 303. 5.
non. lin. 3.
V(a)L *L(e)*, uale 396. 204. Proprie ergo est scriptum non uale sed ualle, de qua mira conduplicatione, scilicet ut litterae in nota principe iam exstantes, interdum etiam in terminationibus adiectis repetitae compareant atque redundent, cf. Kopp, I, § 179. — Alia exempla in hoc fragmento sunt: lin. 6 aduenT-Tum, lin. 8 figuR-Ris, Cf. Lehmann, pag. 18 sqq., Schmitz, S. Chrodegangi Reg. Canon., pag. 26, III, B, 1—15.

lin. 6.

A(d)T*T(u)*, aduentum 38. 369. De conduplicatione: aduenT-Tum uide ad lin. 5: uale. Not. Bern. 33, 76.
T*V(m)*, tuum 368. 389.
L(i)*V(m)*, librum 206. 207. 389.
Q., quem 302. Ruess, pag. 14.
EP(s)*I(s)*, epistolis 125. 167.
P(roi)M *R(am)*, promiseram 284. 314.

lin. 7.

HC., hunc 156. Ruess, pag. 14.
R*O*, rogo 312.
EX, ex 132.
C(onu)S*N(e)*, consuetudine 85. 235.
TA, tua 370.
et. lin. 5.
Q(t), quod 303. Not. Bern. 9, 41.
L, nihil 204.
V(am), umquam 389.
P(er), per 263. Huic notae aequę uocabulum plene scriptum additur; exempla aliquot uide apud

Schmitz, S. Chrodeg. Reg. Can., pag. 26, III, C, 1—9.

lin. 8.

ED, eodem 113.
L(i)*O*, libro 206. 207. 248.
V(i)*O*(*r*), uideor 387. 249.
T(a)*V*(*i*), temptaui 370. 387.
enim. lin. 3.
D(o)N *EN*, demosthenen 103. (cf. tenuis, tenuitas, cet. 380). Hanc notam sic esse soluendam confirmauit mihi Schmitz. — Notum autem est in ipsis nominibus propriis scribendis maiore quadam licentia usos esse librarios.
SP., semper 354. Ruess, pag. 19.
tuum. lin. 6.
M(e) *V*(*m*), meum 216. 389.
DV(mx) *A*(*t*), dumtaxat 112. 4.
G(f)VR *RIS*, figuris 153. 320. De conduplicatione: figuR-Ris uide ad lin. 5: uale.

lin. 9.

M(l) *TI*(*s*), multis 227. 376.
V:, uim 388. 410. Ruess, pag. 6.
T(an) *A*(*m*), tantam 368. 4.
V(r) *OV*(*m*), uerborum 389. 259.
PC *I*, pauci 270. 163.
Q *O*(*s*), quos 302. 249.
A(m) *V*(*it*), amauit 5. 388.
P(os) *V*(*n*)*T*, possunt 265. 406.
nec. lin. 4.
M(a)T *A*(*m*), materiam 235. 5.
IP*A*, ipsa 187. 2.
H(ui), huic 155.

lin. 10.

N(e), ne 235.
I(n)P *BE*, inprobe 186. 43.
D(i) *A*(*m*), dicam 90. 4.
R(e)G *V*(*it*), repugnauit 318. 388.
ER *A*(*t*), erat 127. 4.
enim. lin. 3.
P(ro)P, prope 288.
TO *T*(*a*), tota 380. 370.
I(n), in 163.
C(on)T *TON*(*e*), contentione 88. 380.
D(i) *D*(*i*), dicendi 90.
quod. lin. 7.

lin. 11.

me. lin. 4.
L*E*, long[a]e 205. 112.
I(n)D(o)R *E*(*t*)*M*, indormientem 163. 107. 122.
E(x)C *V*(*it*), excitauit 116. 388.
S(i), si 330.
M *O*, modo 217.
E., ego 112. Ruess, pag. 14.
ut. lin. 4.
E(x)C *A*(*r*)*I*, excitari 116. 17.
P(os):, possim 265. 410. Ruess, pag. 6.
non. lin. 3.
T., tamen 368. Ruess, pag. 19.

lin. 12.

OO, omnino 255.
IB, ibi 168.
ut. lin. 4.
(i)N *ER*(*e*), itinere 237. 127.
AM(n) (*b*)*V*(*s*)., amoenitatibus. 23. 389. Ruess, pag. 23.

lin. 13.

S*u* *EM*(*r*), submouemur 353. 122.
enim. lin. 3.
non. lin. 3.
TR *E*(*s*), tristes 382. 114.
E(s) *S*(*e*), esse 114. 328.
nec. lin. 4.
est. lin. 4.
quod. lin. 7.
me. lin. 4.
SV, sub 364.

lin. 14.

V*NA*(*m*), ueniam 389. 235. 4.
PL *AR*(*e*), postulare 279. 31.
Q(*o*), quo 304. Ruess, pag. 19.
MG, magis 226.
L(i)M *A*(*m*), limam 212. 4.
T *A*(*m*), tuam 368. 4.
C(on)F*BO*(*r*), confitebor 62. 47.
et. lin. 5.
IP*V*(*m*), ipsum 187. 389.

lin. 15.

me. lin. 4.
et. lin. 5.
A(b), ab 5.
ED*TON*(*e*), editione 117. 380.
non. lin. 3.
si. lin. 11.
modo. lin. 11.
non. lin. 3.

lin. 16.

E *OI*, errori 113. 252.
N *O*, nostro 237. 249.
A(d)I *ER*(*s*), adieceris 17. 127.
enim. lin. 3.
AL *Q*(*i*), aliquid 18 304.
ED *DV*(*m*), edendum 117. 112.
A(d)Q, adque, atque 29.
V(t)I, utinam 396.
H(o)C, hoc 156.

lin. 17.

quod. lin. 7.
PA *T*(*u*), paratum 265. 369.
est. lin. 4.
VO *T*(*u*), uotum 400. 369. Accuratius ergo haec nota formata est quam VO*um* = uotum, apud Koppium, 400.
A(ut)M, autem. 23.
ex. lin. 7.
PL (*b*)*V*(*s*), pluribus 279. 389.

lin. 18.

C*I* (*s*), causis 52. 167.
(x)M *E*, maxime 217. 112.
quod. lin. 7.
quos. lin. 9.
E(i)M *M*(*us*), emisimus 122. 123. 219.
D(i) *VV*(*t*), dicuntur 90. 406.
Q(am)V, quamuis 310.
G(r) *A*(*m*), gratiam 147. 4.

lin. 19.

N(i) S(i), nisi 247.
tamen. lin. 11.
AV (*b*) *V*(*s*), auribus 40. 389.

b. lin. II.

huic. lin. 9.
HC, h[a]ec. A Koppio 156 perperam hac explicatur. Cf. ex. gr. Sickel, pag. 18; Schmitz, Progr. Colon. 1880, A, lin. 1; Not. Bern. 8, 25.
A(d), ad. 4.
et. lin. 5.
DE, de 95.
P(er) *TON*(*e*), perfectione 263. 380.
H *N*(*is*), hominis 154. 236.
L(i)., liber 206. Ruess, pag. 12.
SC *T*(*i*), sancti 335. 368.
E(s)*D*, eiusdem. Nota apud Kopp. 117 est imperfecta. Cf. Not. Bern. 8, 37.
ad. cf. supra.
et. 〃 〃
de. 〃 〃
et. 〃 〃
G(r) *A*, gratia 147. 2.

lin. III.

liber. lin. II.
ad. lin. II.
et. lin. II.
C(u), cum 52.
IL *O*, illo 180. 248.

EP(s) *E*, epistol[a]e. 125. 114.
ad. lin. II.
de. 〃 〃
gratia. 〃 〃
et. 〃 〃
liber. 〃 〃
IT, item 193.
ad. lin. II.
de. 〃 〃

lin. IV.

et. lin. II.
gratia. 〃 〃
liber. 〃 〃
EP(s)*Δ*, epistola 125. 2.

ad. lin. II.
SC *V*(*m*), sanctum 335. 389.
de. lin. II.
ad. 〃 〃
sanctum. lin. IV.
de. lin. II.
E *D*, eadem 113. 95.

lin. V.

de. lin. II.
liber. 〃 〃
de. 〃 〃
BO *O*, bono. 47. 248.
liber. lin. II.

A. fol. 74r

TRI QUIN TIR ORTATUS IS UT NEPISTOLAS SI QUAS

I [illegible] ... sl 1 simulsu a [illegible]

II t' adiu ne inf. 1 paulo 1 sumopiu ... suffrant q' j. j. sz ungt. ... 1 ... adde ... an a liberamberno j .. l' 1 adde

III j. 1. 1 ... 2y monachol ... / adde ... quam; galli ... [illegible] 1 sz ... [illegible]

IV ... a an j. j. ... plpm 1 sz dugt ... quam; galli ... pistolactam ... sz ... [illegible]

V ... p deforatoue j. 1. ... 3 p deftinuetionis j. 1.

Sumptibus E. I. BRILL anno priore prodiit:

Exercitationes palaeographicas in Bibliotheca Vniuersitatis Lugduno-Batauae instaurandas indicit S. G. de Vries. — (Inest commentatiuncula de codice Ciceronis Cat. Mai. Ashburnhamensi nunc Parisino). Lugd. Bat., m. Oct. 1889. . . . . fl. 1.20.

